



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per  
Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

De Delictis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

ARNOLDI CORVINI  
 à BELDEREN J. U. D.  
**JUS CANONICUM,**  
 PER  
**A P H O R I S M O S**  
*Strictim*  
**E X P L I C A T U M.**  
 LIBER QUARTUS.

*De Delictis.*

T I T U L U S I.

**H**ACTENUS de Judicio Civili: nunc ad Criminale transgrediamur, in quo de criminis sive delicto, publicæ disciplinæ causâ agitur.

Nam, licet jus Pontificium pœnarum atrocitatem exhorreat, præsertim quibus de sanguine & vita hominis agitur, tamen, ut mali coegerantur, & boni inter malos quieti vivant, *c. non frustra. 23. qu. 5.* certas adinvenit pœnas, quibus fontes, citra sanguinis vindictam, aut membrorum debilitationem, plenti possint.

Sustulit etiam hoc Ius distinctionem Iuris Civilis inter privata delicta & publica; & omnia voluit publica esse. *per Gl. in c. infames. in verb. fures. 4. qu. 1. Hostiens. in c. statuimus. num. 19. de malef.*

Delicti sive criminis nomine hic venit non solum dolo malo admissum, sed damnum, culpâ, licet levissimâ, datum. *c. fin. de jurejur.*

Oritur delictum ex ipsa re, id est, maleficio. *l. 4. in princ. ff. de oblig. & act.*

Q 5

Cogi-

Cogitatione solâ conceptum à jure non coërcetur. c.  
cogitationis. qu. 3. de pœnit. dist. 1.

Delicta, quæ hoc jure considerantur, sunt vel *quarumcunque personarum*: vel *certarum*; ut *puerorum, Clericorum*.

*Quarumcunque personarum* crimina committuntur contra Decalogum; ejusque vel *tabulam primam*, vel *secundam*.

Contra primam; *Simonia, Iudaïsmus, Saracenismus, Hæresis, Schisma, Apostasia, Anabaptismus*.

Contra secundam; *Homicidium*, contra præceptum secundum: *Adulterium, & Stuprum*, contra præceptum tertium: *Furtum*, tam *qualificatum*, quam *simplex*, contra præceptum quartum: *Falsum*, contra præceptum quintum.

*Certarum personarum* crimina sunt; *Calumnia* in crimen deferente; *Collusio*, in accusato de criminè & accusatore; *Venatio, Percussio, Maledictum, Ministratio*, in clero; *Excessus officii* in Prælato.

De his omnibus ordine tractabimus.

### De Simonia.

#### T I T. II.

**S**imonie crimen (à Simone Mago, qui primus in novo testamento hoc scelus admisit, dictum, c. qui studet. 1. qu. 1.) tunc admittitur, cum aliquid pro rebus spiritualibus exigitur, vel promittitur.

Res spirituales intellige non tantum propriè, ut consecrationes, benedictiones, Sacramentorum distributiones, ordinationes; & quæ habentur in c. non satis. & c. cum in Ecclesia. 9. c. nemo. 14. c. ea qua. 16. hic. sed & res temporales spiritualibus adnexas; ut præbendas. c. si quis objecerit. 1. qu. 3.

Est *Simonia*, vel *Conventionalis*; cum aliquid datum est, vel de dando convenit: c. 2. de confess. c. sunt nonnulli. 1. qu. 1.